

Inauditum siquidem est a diaconis aut laicis collatum aliquando esse confirmationis sacramentum; cum igitur Tertullianus presbyteros conferat cum diaconis in collatione baptismi, hoc ipso significat presbyteros non contulisse confirmationem una cum baptismo. Imo suo loco vidimus, jus conferendi baptismum Tertullianum soli episcopo tribuisse, multo proinde magis soli episcopo jus tribuit administrandi confirmationem. Demum, quod ille tantum insinuat, scriptores reliqui eidem suppare expresse docuerunt.

Ad 3. *Dist.* Ita ut sacerdotis nomine ibi episcopum s. Ambrosius significet, C. presbyterum, N. Quod ex orationis serie patet. Paulo ante jam vocaverat sacerdotem summum (1).

Ad 4. *Neg.* Ad priorem autem textum s. Hieronymi, D. Ad honorem potius sacerdotii, etc., spectata divina Christi dispositione, Tr. spectata dispositione Ecclesiae, N. (2).

Ad alterum vero pariter D. Quid facit, etc., jure ordinario vel extraordinario, C. ordinario, N.

Ad 5. Eadem esto distinctio; siquidem et s. Joan. Chrysostomus id unum significat, posse scilicet facultatem, quae propria episcopi sit, communicari extraordinaria ratione ipsis etiam presbyteris, si ordinationem excipias.

Ad 6. *Dist.* Ratione materiae, ut aliqui contendunt, C. ratione efficaciae et virtutis vel N. vel *subd.* quae juxta Bedam jure ecclesiastico adempta est presbyteris, Tr. secus, N. Reor porro verum sensum hujus obscurissimi textus esse, unctionem, quae nunc reservata est jure ordinario solis episcopis, eandem omnino esse ac secundam, quam olim passim presbyteri ex dispensatione conferebant confirmando baptizatos; quae facultas postea presbyteris ob nonnullorum arrogantiam ablata est, ac reservata soli episcopo. Hinc

(1) Cap. 2. n. 6. ubi scribit: « Vidisti illic (in regenerationis sacramento) levitam, vidisti sacerdotem, vidisti summum sacerdotem, » id est, episcopum, quem ibi perhibet ministrum baptismi praesentibus testibus, diaconis nempe et secundi ordinis sacerdotibus: eundem porro conferentem confirmationem exhibet cap. 6. cf. ed. Maur.

(2) Alludit s. doctor in objecto textu ad usum passim in Oriente receptum, ut presbyteri, ex facultate sibi demanda, neophytos consignarent. Hic autem usus, ut obiter dicam, in Orientalibus Ecclesiis ideo invaluit, quod retenta illic fuerit antiqua disciplina tria simul administrandi sacramenta, baptismum, confirmationem et eucharistiam, quae adhuc obtinet. Crescente baptizandorum multitudine, cum non possent episcopi per se praesto esse omnibus initiandis, in pagis praesertim et in villis, facultatem cederunt presbyteris administrandi sacramentum confirmationis. Hinc receptum est, ut ab Orientalibus universis unica semper ad haec usque tempora unctio fieret, quae est confirmatoria. Cum vero in ecclesia occidentali passim sibi solis chrismatis administrationem episcopi reservaverint, ne baptizati a sacerdotibus sine ulla omnino unctione ex hac vita migrarent, receptum est, ut presbyteri in ipsa baptismi actione in vertice a se baptizatos ungerent, episcopi vero postea frontem linirent administrando sacramentum confirmationis. Haec duplicis unctionis divisio, vulgo s. Silvestri pontificis institutioni adscribi solet, at res est incerta, cum tritum sit apud eruditos, secreta et acta, quae sub Silvestri nomine circumferuntur, supposititia esse; nec Damasus (alius a Damaso I. pontifice) qui id tradit in Pontificali magnam fidem meretur, utpote qui forte haec scripsit non ante annum fere octingentesimum. Illud certum est, mentionem fieri hujus verticalis unctionis ab auctore lib. de Sacramentis lib. III. cap. 7. item initio et fine lib. IV. qui sub nomine s. Ambrosii citatur.

non cogimur cum abbate s. Cyrani, tanquam corruptum traducere ejusmodi textum prout ipse contendi absque codicum auctoritate, ut suis praconceptis opinionibus indulgeat.

Ad 7. *Dist.* Supponunt Constitutiones apostolicae inesse presbytero facultatem confirmandi, cum debita ab episcopo dependentia, C. per se, N. (Cf. *Cotel. in adnot. in. h. l.*).

Ad 8. *Dist.* Et haec aliaque ejusmodi concilia agnoscunt in presbyteris hanc facultatem ex episcopi delegatione ipsis factam, prout ferebat antiquum jus juxta dicta, C. sibi propriam atque ordinariam, N. Sane non aliud evincunt adductae auctoritates, si bene perpendantur, praesertim vero synodus Hispanensis, prout ejus verba aperte ostendunt (1).

### CAPUT III. DE MATERIA, FORMA ET EFFECTIBUS CONFIRMATIONIS.

Valde implexa est controversia de materia et forma confirmationis, si decernantur numerus, auctoritas ac rationum pondus spectentur, quibus illi innotentur ad suam quisque sententiam propugnandam, rem in abstracto, ut aiunt, seu theoretice inspicendo; nullius vero momenti est, in concreto atque in praxi eam considerando. In praxi enim Ecclesia tum manuum impositionem, tum chrismatis consignationem usurpat una cum verbis, quae utramque actionem comitantur.

Quatuor in abstracto, ut dixi, numerantur sententiae circa materiam essentialem et adaequatam hujus sacramenti, ideoque et circa formam, de qua postea.

1. Nonnulli theologi contendunt, in sola manuum impositione essentialem et adaequatam confirmationis materiam consistere, ut Isaacus Habert, Sirmondus, Sambovius, Herminierus. 2. Alii propugnant, in sola chrismatis unctione eam collocandam esse, ut s. Thomas, Bellarminus, Maldonatus, Poncius, Farvaquezius,

(1) Quidam recens auctor verba conc. Hispanensis II. *Novellis et ecclesiasticis regulis* exposuit de *legibus novi testamenti*. Quae quidem expositio plane inaudita adversatur toti contextui, ut per se constat, quia aliud adjiciamus. Itaque longe melius Lucas Holstenius dissert. I. *De minist. conf.* cap. 4. pag. 12. recitato can. VII. subdit: « Ubi nota; non jure divino, non veteri Ecclesiae instituto, sed *novellis et ecclesiasticis regulis* haec vetita dici, Innocentii scilicet I. decreto, cujus verba citat. Neque hoc solum in publica Boticæ synodo, cui Isidorus Hispanensis metropolitae praefuit, constitutum, sed etiam privatim ab eodem Isidoro relatam in lib. VII. *Etyolog.* cap. 12. totidem pene verbis. »

Ceterum canonem XX. superius recitatum conc. Tolentani I. post Suarez tom. III. de *Sacr. confir.* disp. 54. sect. 4. Binius exponit de unctione caeremoniali, quae in solemnibus baptismate in vertice baptizandi adhibetur. Ast praeter Morinum et Holstenium, qui ostendunt de chrismatione sacramentali, quae fit in fronte, esse omnino intelligendum illum canonem, id ipsum efficiunt Cabassutius in *Notitia ecclesiastica* Ludg. 1680. p. 210. ubi agit de can. I. et II. conc. Arausicani I. et Constanti in not. [c] ad cap. 5. epist. s. Innoc. I. ad ep. Eugubium, ubi et illud observat s. Innocentium cum scribit: « De designandis vero infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab episcopo, fieri licere. Nam presbyteri licet secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent, » observat, inquam, apparere tum ex superioribus decretis ac totius epistolae proemio, hoc cum maxime cavere voluisse, ne Ecclesiae, quae a Romana fidem susceperunt, ad alienos ab ejusdem Ecclesiae consuetudine ritus declinarent; moremque ei gessisse conc. Hispan. II., Theodulphum episc. Aurelianensem, conc. Parisiense VI., Meldense, etc.

Vanroy, Morinus; atque hi plerumque censent, chrismata impositioni manuum substitutum fuisse. 3. Aliqui existimant, in alterutra seorsim sumpta eam sitam esse, ita ut unaquaeque materia plena sit atque adaequata, ut Ruardus Tapperus et Morini editor (1). 4. Alii denique, quales recentiores fere omnes sunt, arbitrantur tum in manuum impositione, tum in chrismatis unctione simul usurpatis, essentialem et adaequatam hujus sacramenti materiam agnoscendam esse; sic inter ceteros Natalis Alexander, Merbesius, Juvenius, Lud Habert, Tournelius, Drouvenius, etc. Sed praeter omnibus card. Orsi in laudata dissertatione *historico-theologica de chrismate confirmatorio* (*Præsertim cap. 3. et seqq.*).

Præcipua fundamenta primae sententiae sunt: 1. auctoritas Scripturarum, quae solam manuum impositionem memorat; 2. silentium veterum ritualium et pontificalium circa chrismatis unctionem; 3. ea patrum testimonia in quibus mentio fit solius manus impositionis (2).

Secundae sententiae patroni 1. urgent potissimum Euchologia et praxim Graecorum et orientalium omnium ecclesiarum, in quibus non nisi chrismatis consignatione confirmatio dari consuevit. 2. Deinde proferunt auctoritatem etiam latinorum scriptorum, qui pariter solam unctionem commemorant, et antiquissimos ecclesiarum etiam occidentalium rituales libros, in quibus sola chrismatis unctio praescribitur. 3. Demum nituntur hanc sententiam communire auctoritate Innocentii III. et Eugenii IV. docentium, unctionem suffectam fuisse impositioni manuum, pro Ecclesiae facultate decernendi in specie illorum sacramentorum materiam et formam, quae Christus tantum in genere ut aiunt, praescripsit. Sic enim loquitur Innocentius III. cap. *Cum venisset, extra de sacra unctione: Per frontis chrismationem manus impositio designatur quae alio nomine dicitur confirmatio* (3). Eugenius vero IV. in decreto pro unione Armenorum haec habet: *Loco manuum impositionis datur in Ecclesia confirmatio* (4). His additur Moguntina synodus an. 1549. celebrata, quae cap. XVIII. docet: *Hoc sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus apostolorum ex eorundem traditione, adhibita chrismatis unctione caepisse conferri* (*Ibid. col. 2118*). Qui tertiam sententiam tuentur, argumentis pugnant-

(1) In nota [a] ad cap. 8. Diss. de Confirm. Morini. Hic censet et manus impositionem et chrismationem, materiam essentialem esse sacramenti confirmationis, sed nunc utramque simul, nunc alterutram tantum, pro diversa locorum, temporum, ecclesiarum consuetudine. Ubi vero utraque simul adhibetur, nihil plus conferri, quam si alterutra adhibetur; dari per utramque simul, dari per alterutram Spiritum s. Quod illustrat exemplo eucharistiae qua nihil plus confertur, sive alterutra, sive utraque species distribuatur.

(2) Cf. apud Trombelli op. cit. tom. I. Dissert. V. sect. 2.

(3) Cf. in *Gestis* Innocentii III. a Steph. Baluzio vulgatis ante epist. collect. Paris. 1682. tom. I. § 76. pag. 58.

(4) Apud Hard. *Acta conc.* tom. IX. col. 458. Quae verba ut reliqua omnia quae ad sacramenta spectant, sicuti alias animadvertimus, desumpta sunt ex Opusculo V. s. Thomae de sacramentis.

utriusque opinionis seorsim sumptis pro temporum diversitate.

Qui demum quartam amplexi sunt, in medium afferunt omnia documenta sacrarum Scripturarum, sanctorum patrum, nec non ritualium et euchologorum, quibus se muniunt theologi, qui alteri ex recensitis sententiis adstipulantur: observant praeterea patres et euchologia promiscue commemorare aut tantum impositionem, aut chrismatis unctionem, imo interdum ac passim utramque conjungere, ut Tertullianus, Cyprianus, Firmilianus, aliique a nobis recensiti, cum ageremus de hujus sacramenti veritate (1).

In hac porro opinionum discrepantia nos animadvertimus, quartam sententiam commodiorem esse, utpote quae hoc lucrum habeat, ut aliarum praesidia sibi vindicet omnia; et omnes difficultates, quibus unaquaeque trium priorum urgetur, facile declinet. Nec enim potest oppugnari nisi argumentis, ut vocant, negativis, quibus argumenta positiva opponuntur. Adimus quod circa primam sententiam adversarii animadvertant, Scripturae loquendi usum, ei non omnino adstipulari, cum soleat sacramentum denominare ex aliquo tantum ritu; Scripturam praeterea non esse unicum doctrinae catholicae fontem, sed insuper dari traditionem; difficile porro est, rejecta chrismatis unctione, ex veteribus monumentis ostendere veritatem hujus sacramenti. Martenius, ingenti numero ordinum confirmationis in medium adducto, evincit, semper praescribi unctionem in illis ordinibus, in quibus ritus confirmationis ex professo describuntur; in iis vero, in quibus siletur de chrismate, ut plurimum pariter nullam mentionem haberi manuum impositionis, sed solam orationem praescribi, quia cum infantibus plerumque baptismum conferretur a sacerdotibus, qui absque delegatione confirmare non poterant, hinc sola oratio ab ipsis recitabatur quin confirmationem administrarent (2).

Circa secundam sententiam adnotant adversae partis theologi: 1. falsum esse, vetera euchologia et praxim orientalium rejicere manuum impositionem. Etenim Renaudotius ostendit eam in non paucis euchologiis offendi, atque concludit: *Impositio manuum in plerisque graecorum libris ritualibus praescripta reperitur, quanquam ut praecipua confirmationis pars non habeatur. Quod non ideo fit, quasi graeci et orientales magnam in impositione manuum efficaciam non agnoscant, sed quia, cum illa in omnibus ferme sacramentis fiat, unctionem, quae paucorum propria est, principalis materia tenere locum existimant* (3). Renaudotio concinit doctissimus Jos. Simon Assemanus, qui eandem manuum impositionem praeterea invenit in rituali nestorianorum in Chaldaea degentium (4). 2. Falsum praeterea esse animadvertunt, patres et scriptores ecclesiasticos, sive graecos sive latinos,

(1) Harum sententiarum fundamenta cf. apud Trombelli loc. cit. sect. 5. et 4.

(2) *De antiquis eccl. ritibus* lib. I. cap. 2. art. 3. § 7.

(3) *Perpetualité de la foi* liv. II. ch. 11.

(4) *Bibl. Orient.* tom. III. p. 2. *Triseri. de syris Nestorianis*, pag. 272. et seqq.

solan commemorare unctionem, cum certum exploratumque sit, eosdem manuum impositionis mentionem fecisse, et plerumque utramque conjungere, ut patet ex productis eorum testimoniis. Quod si interdum alterutrius materiae vel ritus tantum meminerunt, hoc ipso constat, eos ab alterutro ritu sacramentum hoc designare, quin alterum excludant. 3. Innocentium III., Eugenium IV. et concilium Moguntinum nil aliud voluisse indicare, quam nominis immutationem, adeo ut illud ipsum sacramentum, quod aetate apostolica nomine impositionis manuum significabatur, postea vocatum fuerit confirmatio, sive *chrismatio*, quod sedulo singulorum verba perpendenti planum fiet; certe concilium Moguntinum ibid. subdit: *Illinc ab Ecclesia catholica acceptam normam tradendi Spiritus sancti per manus apostolorum* (loc. cit.).

Adversus Moretum observant, valere animadversiones factas in utramque sententiam modo expositas, praesertim cum constet Graecos ab aliquot seculis non amplius se jungere manus impositionem ab unctione, atque idcirco utrumque ritum eos simul complecti, dum chrismatis tantum meminerunt. Profecto Simon Thessalonicensis, de episcopo neophytos confirmante verba faciens, haec habet: *Per manuum impositionem et inspirationem unguenti gratiam inserit* (1); quem locum expendens Goarius scribit: *Simeonem Thessalonicensem Scripturae loquendi modum fuisse imitatum, nec se a vocibus a Patribus graecis usurpatis reddidisse alienum, imo potius theologorum nostrorum mentem et verba, ubi manuum impositionem cum unctione confundunt, fuisse secutum* (2).

Quae cum ita se habeant, nos lubenti animo in postremam hanc sententiam concedimus, utpote communiorem, atque ut nobis videtur, solidioribus rationum momentis fulcitam. Verum hic duae rursus emergunt quaestiones, altera circa manuum impositionem, altera circa chrisma.

Enim cum duplex distinguatur manuum impositio, quarum altera ea est, quae comitatur ipsam unctionem, altera vero, quae protensis manibus peragitur, quaeritur quaenam velut necessaria et essentialis censenda sit. Certum videtur, veteres de posteriori hac loqui, cum manuum impositionem ab ipsa unctione secernunt, cum vero generatim de manuum impositione sermonem instituunt, aut utramque comprehendere, aut verisimilium priorem designare. Grotius ipse per multis Scripturarum adductis testimoniis ostendit *χερσιν ἐκτείνειν manus extendere*, perinde valere, ac deprecari *divinam virtutem et gratiam* (3). Qua sententia admissa, nullo negotio conciliantur, quae prima fronte sibi adversari invicem videbantur, Scripturarum oracula ac monumenta antiquitatis, nec

(1) Lib. de divino Templo in praef. n. 2. τῆ ἐπιθεσῆ τῶν χερσῶν καὶ ἐπιθέσει τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιθέσει. Extat hoc opusculum latine in biblioth. max. Patrum, Lugd. tom. xxii.

(2) *Enchiridion* in notis ad baptisimi officium n. 21. pag. 567.

(3) In cap. 9. s. Matth. V. 18. et 19. 15. cf. in Criticis sacris.

non Innocentii III. Eugenii IV. et Moguntinae synodi locutiones; imo et illorum theologorum, qui pugnant aut pro manuum impositione, aut pro unctione chrismatis (1). Nulla propterea necessitate cogimur ad deserendam sententiam Benedicti XIV. dum lib. XIII de Synodo cap. 49. advertit, spectari non posse ut essentialiam illam manuum impositionem, quam praemittit episcopus preces fundens in administratione hujus sacramenti, eo quod eam minime repetat super eos, qui, illa absoluta, ad confirmationis sacramentum accipiendum subinde accedunt; quae agendi ratio, ut ipse loquitur, cum communiter recepta sit, et passim servetur, nemine penitus contradicente, patet eam minime essentialiam esse, alioquin nullum irritumque esset confirmationis sacramentum sic administratum iis, qui in locum priorum successerunt (2). Exinde plane etiam consequitur, non nisi manus impositionem, quae unctionem comitatur, pro essentiali hujus sacramenti materia habendam esse, una cum ipsa chrismatis unctione.

Ut aliquid jam attingamus circa alteram quaestionem de chrismate: in primis pro explorato tenendum est, oleum ex olivis expressum necessario requiri ad chrismatis confectionem, cum Patres ac monumenta vetera constanter olei meminerint de hoc sacramento disserentes; olei autem nomine absque nullo addito significari illud, quod ex olivis exprimitur, theologi omnes fatentur.

Verum quaestio in eo versatur, utrum necessaria sit opobalsami admixtio, seu unguenti, quod a Graecis tribus aut quinque supra triginta aromatibus conficitur (3). Ex theologis alii affirmant, alii negant. Licet in praxi tutior pars sit eligenda, adeoque aut suppleri debeat, quod incaute fuit praetermissum, prout declaravit Innocentius III. (4); aut, quod re-

(1) Sane cum Bellarm. de confirm. cap. 2. n. 15. Kemitio occurrere vellet objicienti, manus impositionem nos rejecisse, ac subjecisse in eius locum unctionem chrismatis, respondet, ipsam unctionem et signationem, cum manu fiat, manus impositionem rectissime dici. Lubet hanc Bellarmini responsionem confirmare auctoritate Amalarii Episcopi Trevirensis, qui lib. i. de offic. ecclesiast. cap. 27. haec scribit: « Ut ab episcopis solis inungatur per manus impositionem ab apostolis praecipuum est. » Quibus perspicue declarat, ipsam episcopi actionem, qua frontem manu sua illinit, esse illam ipsam manus impositionem, qua juxta Act. apost. VIII. conferebatur per apostolos Spiritus s. Cf. Cabassutium l. c. et card. Orsi diss. cap. 1. § 4. Combefis. in notis ad Bacchi junioris vitam n. 6. pag. 155. et seqq.

(2) N. 16. 17. Recte dixit sapientissimus pontifex, praxim illam, de qua hic loquitur passim servari, nam in nonnullis ecclesiis ob discrepantiam theologorum sententias receptum jam est, ut tempore fores claudantur, cum episcopus manus super omnes praesentes protendit et orationem fundit: ne alius superveniat et unguatur absque priori illa manuum impositione, atque ut hac ratione periculum amoveatur ne irritum sit sacramentum. Sane auctoritates, quas pro manuum impositione affert Samborius disp. III. de materia conf. Prop. 1. et 2. quamvis omnes decretoriae non sint, non videntur contemneandae. Quapropter Witsse cum in Tract. de conf. monumenta quae alterutri sententiae favent attulisset, denum p. 65. utramque in sua probabilitate relinquit, eademque prudentia se gerit auctor additionum ad Estium in lib. iv. Sent. D. VII. § 16. litt. b. p. 87.

(3) Horum aromatum catalogum exhibet Goaribus in Enchiridion pag. 667.

(4) Cap. Pastoralis extra de sacram. non iterandis. Inter

centioribus plerisque placet, tota sit sub conditione confirmatio iteranda; tamen, salva fide, negari potest, necessariam esse ejusmodi admixtionem, ut tenet etiam Bellarminus adversus Kemnitium, qui ex ea ansam sumpsit scholasticos calumniandi (1). Jam diximus eruditos viros contendere, seculo tantum Ecclesiae VI. induci comisse hanc opobalsami sive unguenti admixtionem.

Eadem plane ratione disserimus de necessitate benedictionis chrismatis, eo quod theologi pariter circa eam in diversas sententias abeant; alii enim eam adstruunt de necessitate praeccepti divini, quia veteres ut plurimum loquuntur de *chrismate sancto* ac de *chrismate benedicto*; alii contra ejusmodi Patrum locutiones intelligunt de sola necessitate praeccepti ecclesiastici, cum pari ratione memorent, dum de baptismo scribunt, aquae consecrationem, vel trinam immersionem, quas tamen esse de praeccepto divino aut de necessitate sacramenti nemo dixerit.

De jure ordinario ejusmodi benedictionem competere solis episcopis, teste Benedicto XIV. nemo est qui dubitet (*De synodo lib. vii. cap. 8. n. 1*). Ast quaestio movetur, num per solum rom. pontificem, an vero etiam per episcopos possint presbyteri delegari ad chrisma conficiendum. Non desunt auctores gravissimi disceptantes sive circa potestatem romani pontificis sive circa potestatem episcoporum. Sed quod attinet ad rom. pontificem vix subesse potest dubitandi ratio. Si enim ipse potest, uti ostendimus, sacerdoti facultatem communicare administrandi hoc sacramentum, quare delegare eundem non poterit ad chrisma conficiendum, cum plerique nunc contendunt hanc benedictionem non requiri, nisi de praeccepto ecclesiastico? Quod spectat ad episcopos, distinguendum est jus antiquum a jure recentiori; juxta antiquum jus certum videtur, potuisse episcopos ejusmodi extraordinariam facultatem delegare presbytero; juxta vero jus novum, saltem in ecclesia latina, episcopi non possunt id praestare, cum uni rom. pontifici ea reservata sit (2).

rogatus enim pontifex: *an iteranda esset confirmatio ejusdem hominis solo oleo inuncti absque balsamo*, decrevit: « Nihil iterandum esse, sed caute supplendum id, quod incaute omissum fuerat. »

(1) De conf. cap. 9. n. 17. Prima balsami, quod sciam, expressa mentio occurrit apud Occidentales in libro sacramentorum, seu pontificali s. Gregorii M. ubi legitur: « Praeparantur ampullae duae cum oleo, quarum melior deferretur pontifici, ut accepto balsamo et commiscitatum cum oleo, manu sua impleat eam. » Opp. edit. maur. vol. iii. p. 65. Verba vero quae citantur a Bellarmino, et Nat. Alexandro ex ejusdem s. doctoris expositione in Cant. cant. cap. 1. ad v. 15. *Notrus cypri dilectus meus in vineis Engaddi* nempe « In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimitur: a criticis expuncta sunt, ac desumpta videntur ex Beda in Cant. ad eundem vers. 17. edit. maur. in h. l. Dixi expressa mentio; nam subobscura saltem ejusmodi mixtura s. Optatus lib. vi. adv. Parmen. n. 4. memuisse videtur Cf. edit. Albaspinæ pag. 199. ac nonnulli alii ex Graecis, ut auctor Const. apost. lib. vii. cap. 44. Quod colligunt non tantummodo ex voce *chrismatis*, aut *unguenti*, qua illi auctores utuntur, cum exploratum sit eruditum eam passim adhiberi ad simplex oleum significandum, sed ex fragrantia, quam ipsi memorant.

(2) Cf. Bened. XV. l. c. Hic addendum, quod observant edit. maur. opp. s. Greg. M. in notis ad ep. 26. libri iv.

H. Ex theologorum disceptationibus circa essentialiam sacramenti confirmationis materiam pronum est colligere, easdem viguisse controversias circa formam. Qui enim adstruunt solam manuum impositionem sive extensionem, quae ab episcopo praemittitur supra omnes congregatos esse materiam essentialiam, inferunt solas preces, quae in ea funduntur, veram et essentialiam formam constituere. Qui vere simultaneam manus impositionem et unctionem tantquam integram ac essentialiam materiam tuerentur, colligunt ex verbis, quae in ea actione pronuntiantur, formam exurgere: id ipsum tenent, qui in sola unctione seorsim sumpta materiam esse arbitrantur. Ili porro omnes affirmant essentialiam formam penes Graecos et Orientales in illis verbis contineri: *Signaculum doni Spiritus sancti*, cum alia ab ipsis non usurpetur, licet perperam nonnulli theologi ex praecceptis opinionibus refragentur (1). Perinde enim hanc formam exponit orthodoxa confessio Ecclesiae orientalis a Nectario edita an. 1662. atque a quatuor sedibus apostolicis approbata, ac si per eam dicatur: *In unctione sacri hujus unguenti obsignaris, confirmarisque in Spiritus sancti donis, quae in confirmationem christianae fidei tuae accipis* (2). Penes Latinos autem formam constitui contendunt per verba: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine Patris*, etc. (3).

Haec porro verba, veram ac essentialiam sacramenti confirmationis formam in ecclesia latina constituere, vel ex eo constat, quod haec sola, saltem quoad substantiam et sensum, reperiantur in omnibus qui supersunt sacramenti hujus ordinibus, quos refert Martenius, initium ducens a medio circiter octavo seculo, usque ad an. millesimum quadringentesimum (4); contra vero eadem non habetur constan-

« Afris presbyteris, inquit, ne chrisma conficerent, plurimis canonibus prohibuit fuerat: illos tamen circa nonum seculum chrisma confecisse supponit Joannes Diaconus in ep. ad Senarium, quam Musaei Italici tom. i. Mabillonius edidit. Sed nec illud tangat animam, scribit n. 8., quod sibi aliquando quadam vis necessitatis assumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur), ut presbyteri sanctum chrisma conficiant, quod merito moveret, si istam pontificalis auctoritas licentiam non dedisset. Unde constat a Pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum necessitate, ut a presbyteris effici possit, superior ordo constituit. »

(1) Morinus, Nicolaus Cabasilas, Christianus Lupus, aut negant in illis verbis formam sacramenti confirmationis consistere, aut saltem minus aptam eam sibi videri affirmant. Ast eam tuerentur Arcudius, Bessarion, Goarius, Renaudotius, Holstenius, quibus jam plerique omnes assentiuntur. Profecto, cum nulla alia forma occurrat in Graecorum et Orientalium Euchologiis, aut dicuntur illas omnes ecclesias semper caruisse vero confirmationis sacramento, quod vel suspicari nefas est, aut fatendum in his verbis veram formam haberi. Traditur jam hinc forma in concilio generali Constantinopolitano I. can. VII. his ipsis verbis *Ἐπιθεσῆς δωρεῆς πνεύματος ἁγίου* Apud Hard. Acta conc. tom. i. col. 815.

(2) *Ἐπιθεσῆς αὐτῆς, κατὰ τὴν ἁγίαν τοῦτον ἁγίου πνεύματος ἐπιθεσῆσαι καὶ βεβαιώσασθαι ἐν τῇ χάριτι τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἀπὸ τῆς ἐκ βεβαίως ἐν τῇ χριστιανικῇ σου πίστει.* Cf. *Orthodoxa confessio catholicae atque apostolicae Ecclesiae orientalis*, interprete Laurentio Normanno. Lips. 1693. pag. 162.

(3) Non pertinere ad essentialiam singula haec verba, plura sunt, quae suadeant. Cf. Chardon *Hist. des sacrements* tom. i. sect. seconde, ch. 1. pag. 419. et seqq.

(4) Martenius op. cit. lib. i. cap. 2. art. 3. viginti tres ordines profert.

tia quoad illam orationem: *Omnipotens sempiternae Deus, etc.*, quam recitare consuevit episcopus, dum manus super omnes confirmandos protendit. In nonnullis enim ordinibus postponitur unctioni, in aliis praemittitur, omittitur penitus in aliis, ut in libro Sacramentorum Moysacensis monasterii, qui in bibliotheca Colbertina asservatur; in quibusdam vero sola refertur oratio, at nulla fit mentio manuum impositionis, ut in antiquo codice s. Benigni Divionensis ante an. 800, ut refert Martenius, nec non in rituali Gemmeticensi aetate Theodorici abbatis exarato, in duobus item Colbertinis annorum ad minimum 800 (1). His omnibus robor invictum accedit ex Graecorum et Orientalium praxi, apud quos nulla occurrit in administratione hujus sacramenti oratio ad invocandum Spiritum sanctum, nec propterea prior illa manuum impositio (2).

III. His itaque constitutis circa materiam, et formam sacramenti confirmationis, restat ut pauca subjiciamus circa ejusdem sacramenti effectus.

Jam vero duo effectus recensentur. Primus nempe est Spiritus sancti gratia ad robor et fortitudinem in fide praesertim strenue profitenda, adeo ut illi, qui quasi modo geniti infantes per baptismum evaserunt, per confirmationem virtute Spiritus sancti in viros perfectos evadant. Quare apud veteres confirmatio passim dicebatur *appendix, complementum, perfectio, et consummatio* baptismi, eo scilicet sensu, quo expositum est. Recepta inde pariter erat consuetudo apud eosdem statim confirmandi eos qui baptizati erant. Ad hunc vero effectum obtinendum requiri statum gratiae, omnes consentiunt. Alter Confirmationis effectus est character, quo fit, ut semel rite confirmatus, iterum consignari non possit. De hoc posteriori effectu disseruimus in tractatu de Sacramento in genere (*N. 78. et seqq.*), quin aliquid adjici necesse sit.

Quae cum ita sint, jam accedimus ad refellendum circa virtutem chrismae novatorum errorem.

PROPOSITIO.—*Injuria non sunt Spiritui sancto, qui sacro confirmationis chrismae virtutem aliquam tribuunt.*

Est de fide, totidem siquidem verbis definita est a Concilio Tridentino sess. VII. can. II. superius recitato.

Operosum porro non est post ea, quae hic praemissa sunt, ejus veritatem adstruere. Vel enim chrismae unctio spectat ad essentiam hujus sacramenti, prout communis jam fert theologorum sententia, quae nobis certa videtur; vel habetur ut caeremonia ad magis declarandos hujus sacramenti effectus, in hypothesis illorum theologorum, qui contendunt materiam essentialem et aequatam confirmationis in sola manuum impositione consistere. Si prius admittatur, hoc ipso evincitur propositionis veritas; si posterius, nulla profecto injuria irrogatur Spiritui s. si ritus ab Ecclesia servetur in tota antiquitate receptus, ad ejusdem sacramenti mirabiles effectus uberius signi-

(1) Martenius op. cit. lib. I. cap. 2. art. 5.  
(2) Cf. Renaudotium. op. cit. liv. II. ch. 12.

ficandos prout et in aliorum sacramentorum solemnitate fieri consuevit. In hac enim sententia, cum unctio nihil addat seu conferat ad sacramenti essentiam, quae sarta tecta habetur in manuum impositione, non afficit nisi rationem illud administrandi. Porro Ecclesiam praeditam esse potestate nonnullos ritus ac caeremonias instituendi ad solemnem sacramentorum administrationem, suo loco ostendimus (1). Ergo.

Cum omnes fere difficultates, quas urgere solent protestantes adversus chrisma ex silentio Scripturae, ac veterum, aut ex ejus origine, aut etiam ex superstitione, quam in ista unctione inesse autumant, praecipuae a nobis fuerint, ne temporis jacturam facere videamur, ab eorum strophis referendis supersedeamus, quae ut plurimum in solis sannis et scurrilitatibus consistunt (2).

#### CAPUT IV. IN EA, QUAE DISCEPTATA SUNT, SCHOLIA COMPLECTENS.

Ad pleniorum hujus tractatus dilucidationem, nonnulla breviter circa institutionem, subjectum, necessitatem et caeremonias confirmationis adjicienda supersunt.

I. Ac primo quidem circa institutionem, velut certum tenendum est, adversus nonnullos veteres scholasticos, s. Bonaventuram, card. Jacobum de Vitriaco, Petrum Aureolum, aliosque, imo et synodum Beneventanam an. 1374 celebratam, sacramentum confirmationis fuisse immediate a Christo Domino institutum, non autem mediate tantum ut illis placuit (3). Id enim satis aperte docet Tridentina synodus definiendo, omnia N. L. sacramenta fuisse a Christo Domino instituta (4). Quo vero tempore, aut in quibus rerum adjunctis illud Christus instituerit, res omnino incerta est, nec ulla suppetunt certa documenta sive ex Scriptura sive ex traditione, ut determinari id possit (5).

II. Subjectum confirmationis non potest esse, nisi fidelis baptizatus, cum baptisma omnium sacramentorum primum sit, ac veluti janua, qua in christianae vite societatem ingredimur. At circa aetatem ac tempus illam administrandi, diversa diversis temporibus et in diversis ecclesiis viguit et adhuc viget disciplina. Etenim in ecclesia latina, olim administrabatur statim post baptismum, ut innumeris prope documentis ostendit Martenius (*Loc. cit. ar. 2*); qui mos perseveravit per duodecim fere secula, siquidem incunatae sec. XIII. jam passim obsoleverat, ut non obscure innuit ms. Pontificale ecclesiae Apamiensis in

(1) In Tract. de sacr. in genere col. 51.  
(2) Videri poterunt apud Bellarm. *De confirm.* cap. 9. et seq. Cf. etiam Trombelli *De confirm.* tom. I. disp. 3.  
(3) Cf. Trombelli op. cit. Disp. 1. et 2.  
(4) Cf. quae diximus in Tract. de Sacram. in genere col. 11.  
(5) Cf. S. Th. 5. p. q. 72. a. 1. ad 1. item Estium in IV. Sent. Dis. VII. § 4. Drouvenium *de Re sacram.* lib. III. cap. 2. q. 6. qui exponunt, quam ratione accipiendum sit dictum s. Th. I. c. « Quod Christus instituit hoc sacramentum non exhibendo, sed promittendo... et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem. » De singulari opinione Alexandri de Ales alius disseruimus. Falsum porro est, quod generatim affirmat Sambovius in tract. de *sacr. confirm.* Disp. I. ar. 2. ubi refert scholasticorum placita, s. Bonaventuram in 4. Sent. D. 7. q. 1. et 2. amplecti doctrinam magistri sui, nempe Alex. Alensis. Nihil enim dicit de hujus sacramenti institutione in conc. Meldensi, sed solum asserit formam et materiam elementarem fuisse ab immediatis apostolorum successoribus institutam Spiritu sancto dictante. Eum adisis loc. cit. Opp. ed. Rom. 1396. tom. V.

Syria an. 1214. exaratum (1), licet in nonnullis particularibus ecclesiis occidentalibus, in Galliis praesertim, diutius retentus sit. Quod vero spectat ad ecclesiam graecam, aliasque orientales communioniones, antiqua disciplina adhuc viget (*Cf. Renaudotium loc. cit.*). Ceterum cum in ecclesia latina a sec. XIII. invaluerit disciplina separandi administrationem confirmationis a collatione baptismi, receptum in ea est, ut non conferatur, nisi cum infantes pervenerint ad rationis usum, si peculiares circumstantiae aliud non suadeant. Hac ratione componuntur, quae contraria tradere videntur catechismus romanus ac romanum Pontificale. Catechismus enim docet, minus expediri hoc fieri prius quam pueri usum rationis adepti fuerint, ideoque nisi cum septimum aetatis annum attigerint (*p. 2. cap. 3. n. 17*); Pontificale vero tanquam certum ponit, sacramentum confirmationis etiam infantibus ab episcopo administrari, dicens: *Infantes per patris nomine ante pontificem chrismae volentem tenentur in brachiis dextris*; Catechismus siquidem loquitur de eo, quod ceteris paribus observari debet, Pontificale autem de eo, quod necessitate aliter exposcente fieri potest.

Benedictus XIV. lib. VI. de Synodo, indidem colligit, laudandum esse episcopum, qui paratum se profiteretur ad confirmationem administrandam infantibus in extremo constitutis, aut juberet ut sibi chrisma ministrato aut in hoc aut in illo suae diocesis loco exhibeantur pueri cum facilis ad eos in posterum sibi futurus non sit accessus (*Cap. 9. n. 8, 9*).

Praeterea statum gratiae, olim praeterea requirebatur, ut non nisi a jejuniis tum conferretur, tum susciperetur confirmatio (2); quod nunc in desuetudinem abiit.

III. Quoad necessitatem, omnes theologo consentiunt, confirmationem minime necessariam esse necessitate medii. Verum non aequae conveniunt, si sermo sit de necessitate praecipui, saltem ecclesiastici, adeo ut gravis criminis reus fiat, qui ipsam negligerit, cum possit facile suscipere, alii enim affirmant, alii negant. Verum consuli poterunt de hoc argumento theologiae moralis institutores (3).

IV. Superest ut percurramus potiores hujus sacramenti caeremonias seu ritus, qui adhuc observantur in ejus administratione; olim siquidem plures alii usurpabantur, ut ostendit Martenius (4). Ac 1. est unctio chrismae in fronte apud Latinos, graeci enim ac plerique orientales unguunt oculos, nares, os et aures (5). Cur vero apud nos frons inungatur exponit catechismus rom.

(1) Erat tunc temporis Syria sub ditione Latinorum. Cf. etiam Vicecomitem op. cit. lib. I. cap. 3.  
(2) Cf. Martenium op. cit. lib. I. cap. 2. art. 2.  
(3) Cf. etiam Estium in IV. D. VII. §§ 18. 19. ubi copiose et accurate de hoc argumento disserit.  
(4) Loc. cit. art. 5. Cf. etiam Vicecomitem de *antiquis confirm. ritibus*, duobus integris libris.  
(5) Interdum etiam lineabant pectus, manus, pedes, etc.

2. Frons (1) oleo sacro illita vitta linea ac probe munda cingitur, atque olim quidem septem diebus ejusmodi vitta deferebatur, vel per triduum, vel saltem per integrum diem; alicubi, ut observat Bellarminus, continuo abluitur et exsiccat chrisma a sacerdotibus, ut fascia opus non sit; consuetudo igitur est tenenda qualis in unaquaque ecclesia viget.

3. Accedit usus antiquissimus susceptorum, qui quasi parentum officium obtinent, ac proinde *patris christiandorum*, vulgo nuncupantur. Quae autem munia ejusmodi susceptoribus seu patris incumbant, fuse exponit in conc. Mediolanensi V. s. Carolus (2). Statuit porro concilium Trid. non contrahi spirituale cognitionem, nisi confirmantem inter et confirmatum, illiusque patrem et matrem ac tenentem (*Sess. XXIV. cap. 2. de Ref.*); quorum propterea nomina in libro ad hoc destinato consignari debent etiam ex plurium synodorum praescripto.

4. Alapam episcopus levem infligit confirmato, mysticam hujus caeremoniae rationem aliis rectius assecutus videtur s. Carolus, qui inter cetera de ea praclare haec habet: *Episcopus eum leviter in maxilla cadit, quem chrismae confirmat. Hunc ritum parochus ita docebit, ut sciat homo christianus se jam militem esse, cujus pugna et victoria eluceat in patiendis injuriis, non in illis inferendis: deinde se in christiana militia constitutum esse, in qua non hujus vite jucunditates et commoda querat: sed incommoda potius, atque adeo multa patienter ferat: ac praeterea intelligat officii sui esse, in acie stare, telaque unde veniant observare; ita ut quamvis illis telorum ictibus corpus, honor, opesque laedantur, anima tamen nullo pacto offendatur* (5). Hanc porro caeremoniam originem habuisse arbitratur cl. Muratorius ex solemnibus equitum institutione, quae olim vigeat, cum rex aut imperator virum aliquem strenuum raro tunc et insigni honore ac nomine equitis donans, alapam illi infligeret; idque colligit tum ex significationis analogia, tum etiam ex eo, quod ante Durandum Mimatensem, qui ea aetate floruit, qua potissimum illa caeremonia usurpabatur, nullus reperitur scriptor, nullus liturgicus aut pontificalis liber qui ejus ritus mentionem faciat (4).

Praeter Arendium, Goarium, Renaudotium, qui ritus Graecorum et Orientalium describunt, cf. admonitionem Toulti ad Catech. III. mystagog. s. Cyrilli.

(1) P. 2. cap. 5. n. 25. Cf. praeterea s. Th. 5. P. q. 72. a. 3.  
(2) Act. p. 1. conc. Province. V. Cf. *Acta Eccles. Mediol. a Carolo Card. s. Praedixis archiep. condita, Friderici Card. Borromaei jussu edita*. Mediol. 1619. pag. 220. tum *ibid. instruct. de sacram. confirm.* p. 509. et seqq.  
(3) Cf. *ib. instruct. de sacr. conf.* pag. 508. Quae quidem instructiones integræ legi merentur, praesertim ab his, quibus incumbit cura animarum.  
(4) Cf. *antiquit. italic. medii ævi*. Mediol. 1741. tom. IV. Dissert. LIII. col. 686.  
(5) Ibid.

## TRACTATUS DE AUGUSTISSIMO

### EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

Eucharistiam sacramentorum omnium praecipuum ac nobilissimum, imo et totius religionis christianae compendium, summis laudibus veteres patres commendaverunt atque extulerunt. Christiani omnes veneratione et grati animi sensu supremum hoc charitatis miraculum quovis tempore prosecuti sunt. Increduli, recentiores biblici, ac rationalistae e converso, furiosos novatores aevi nostri inaitati, tela omnia huc conjiciunt, ut scilicet suavissimum hoc peregrinationis nostrae solamen nobis eripiant, et qui incarnationis ac redemptionis mysterium evertere conati sunt, eucharistiam, quae velut incarnationis continuatio et extensio est, ac uberrimos redemptionis fructus in se

continet nobisque communicat, e medio pariter tollere satagunt. Ast irrito conatu: Deus enim Ecclesiae suae praesto est. Nulli interea et nos industrie parcere debemus, ut veritatem propugnemus ineffabilis hujus mysterii, in quo Deus divitias amoris sui erga nos adeo liberaliter profudit.

Multis splendidisque nominibus *eucharistia*, quae tantumdem significat ac *bona gratia*, seu *gratiarum actio*, a Scriptura et patribus exornatur. Etenim 1. a tempore institutionis *cana* nuncupatur; 2. ab eo, quod continet corpus, caro, sanguis Christi; item *sancta* in liturgiis graecis, *sancta sanctorum, sanctum Domini*; 3. a materia ex qua conficitur, *panis* dicitur, *panis*